

## OCTAVVM PROBLEMA.

metraliter oppositum, scilicet totum signum Piscium, cuius principium quidem habet ascensionem obliquam 345. graduum & 10. minutorum, finis autem est 360. demptis igitur illis ex istis, relinquuntur mihi 14. gradus & 50. minuta, & tanta erit descensio obliqua signi Virginis.

## NONVM PROBLEMA.

*Quantus arcus eclipticæ debeatut cuicunq; ascensioni vel descensioni obliqua perscrutari.*

*Quantus ascensioni debeatut.*

**M**itte numerum ascensionis obliquæ in tabulam ascensionum obliquarum, eam videlicet, cui latitudo regionis vel eleuatio poli data supra scribatur, & ex directo ipsius in summitate quidem tabulæ offendes signum Zodiaci, in latere autem numerum graduum eiusdem signi, qui debentur ascensioni obliquæ propositæ, quemadmodum in quinto problemate circa ascensiones rectas monuimus.

Si tamen eleuationem poli septentrionalis nusquam inueneris præcise, quod accidit, minutis quotlibet iuxta gradus existentibus, operare primo per tabulam latitudinis proximo minoris, secundum viam iam nunc monstratam.

Deinde similiter per tabulam latitudinis proximo maioris, & de differentia arcuum eclipticæ inde elicitorum sume partem proportionalem secundum proportionem minutorum, quæ adiacent gradibus integris propositæ eleuationis poli: ad quam partem proportionalem adde arcui eclipticæ per tabulam minoris eleuationis computato, si ipse minor fuerit arcui eclipticæ per tabulam maioris eleuationis repperito, aut ab eo minue si maior eo fuerit: & quod vel addendo colligetur, vel minuendo relinquetur, prout res ipsa postulat, numerabit arcum eclipticæ quæsitum.

*Quantus descensioni.*

Sed quantus arcus respondeat descensionis propositæ, sic scies: ipsi descensionis datæ semicirculum id est 180. gradus adde, & aggregato tanquam ascensionis obliquæ arcum eclipticæ computa, secundum modum iam nunc traditum, à quo arcui eclipticæ semicirculum, videlicet 180. gradus, aut sex signa communia minue: quod enim relinquitur erit arcus eclipticæ quem petebas.

Hæc autem documenta tenent, ascensione vel descensione obliqua à sectione vernali initium sumente.

Nam si aliunde inciperet, inuenienda essent modo prædicto duo puncta eclipticæ, quorum alterum quidem principio, alterum autem fini talis ascensionis vel descensionis obliquæ responderet. Arcus enim eclipticæ duobus talibus punctis interceptus, esset qui quærebatur. Is quidem modus erit exactæ computationis.

Nam si celerius à propè verum agere decreueris, licebit vti tabula ascensionum obliquarum, cuius inscriptio aut titulus vicinior erit latitudini regionis, vel eleuationi poli, ad quem volebas operari.

Nunc